

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Anthropologia Anatomico-Physica

Baumer, Johann Wilhelm

Francofurti, 1784

VD18 11680695

Cap. XIII. De venis generatim, nec non de pulmonariis, vena carva, atque coronariis.

urn:nbn:de:gbv:45:1-16622

sculares mittit. Circa ligamenti interossei finem sæpius in duos ramos dividitur, quorum anterior, si adest ligamento interosseo perforato, fibulæ, musculis peroneis, imæ tibiæ, atque ligamento annulari ramulos dividit, & tendinem peronei brevis sequens, in osse cuboide terminatur. Posterior, ad externum calcanei latus flexus, externam calcis superficiem petit, datisque pluribus ramulis, & inter hos calcis nutritia, cum utriusque tibialis ramusculis anastomoses admittentibus, plantaris externæ ramo inferitur. Vid. *A. de Haller* l. c. fasc. V. tab. V. tab. VI. fig. I.

CAP. XIII.

De venis generatim, nec non de pulmonariis, vena cava, atque coronariis.

§. I.

De venis generatim. Venæ, coni inverfi figura gaudentes, atque in viscerum aliarumque partium extremitatibus exilibus radiculis ortum capientes, lumine sensim augentur, & sanguinem ab arteriolis, venulis resorbentibus aut corporibus cavernosis v. c. penis, clitoridis, acceptum versus cor revehunt. Earum diameter, si a pulmone recesseris, ut plurimum maior, quam arteriarum sociarum est, sæpiusque unam arteriam duæ venæ comitantur. Arteriarum instar, ex

tunicis membranacea, cellulosa, tendinea atque nervea structæ sunt, musculosa autem, si a cavæ inferioris trunco, cum dextra cordis auricula concreto recesseris, carent. Vid. *Lancisius* de motu cordis, propositione LVII. In extremitatum venis, spermaticis, umbilicali; ad hepatis finem, vena sine pari, coronaria, subclavia sinistra, atque iugularibus internis valvulæ inveniuntur; sed encephali venæ, pulmonales, venæ portarum radices, omnesque venæ capillares iisdem carent. Valvulæ hæ a duabus membranis interioribus formatae, & semilunari figura gaudentes, modo simplices, modo duplices, quin triplices, & sibi invicem e regione oppositæ sunt. In venis maioribus, ante radicularum influentium oscula constitutæ, sanguini obstant, ne a maioribus caveis in minores divertatur. Vid. *J. B. Morgagni* epist. anat. XV. art. XLVI. In extremitatibus columnarum sanguinearum pressionem imminuunt, atque sanguinis progressum facilitant.

Schol. In venarum, vasorum lymphaticorum valvulorum, atque chyliferorum descriptione, ab eorum radiculis incipiens ad truncos progrediar, quo ordine etiam humorum circuitus peragitur, in qua re *J. B. Morgagnum* in epist. anat. I. art. XXVI. & LXVII. consentientem habeo.

§. II.

Tres venas principales *vena pulmonaria*, *vena principava* atque *portarum vena* constituunt. *Ista, principales.*

quatuor radicibus maioribus gaudens, sanguinem ex pulmonibus sinistrae cordis auriculæ adfert. Vid. *B. Eustachii* tab. anat. XXVII. fig. XIII. Illa sanguinem ab aortæ ramulis acceptum ad dextram cordis auriculam revehit. Vid. *A. Vesalii* opera anat. p. m. CCXIV. & *B. Eustachii* tab. anat. XXV. fig. 1. Hæc sanguinem, ex visceribus abdominalibus collectum, hepatis atque radicibus venæ cavæ hepaticis tradunt. Vid. *Andr. Vesalium* l. c. p. CCCX. *B. Eustachii* tab. anat. XXVII. fig. 1. His vena cordis coronaria subiungi potest.

§. III.

Vena pulmonaria.

In utroque pulmonum lobo innumeræ radiculæ venosæ in duas radices venosas maiores colliguntur, quæ, ad sinistram cordis auriculam utrinque progredientes, sinum ibi communem, in auriculam se aperientem, formant. Venulæ pulmonales duplo plures, quam arteriæ, sunt, & singula bronchia illarum binæ comitantur. Radiculis pulmonum venosis pleuræ radículas quandoque accedere, observatum est.

§. IIII.

Cava.

Duobus truncis, superiori atque inferiori, dextræ cordis auriculæ inferitur. Cava inferior ab eo fere loco, ubi venas emulgentes recipit, deserta arteriæ magnæ societate, in dextrum latus magis magisque deflectit; donec hepar attingit, mox autem in obtusum angulum, si non in ipso

per septum transversum traiectu, tamen
 haud ita procul ab hoc, inflexa, finistor-
 sum ad dextram cordis auriculam fertur,
 ibique valvula Eustachii, complemento re-
 ticulari quandoque gaudens, illi apposita
 est, quæ sanguini, auriculam ingressuro,
 cedit, egressuro autem obnititur. Vid. *J. B.*
Morgagni epist. anat. I. art. XI. epist. XV. art.
 XXVI. *Barthol. Eustachii* tab. anat. XXV.
J. B. Winslow dans les Memoires de l'Acad.
 Royale des Sciences 1717. p. 272. In trun-
 cum cavæ superiorem capitis, extremita-
 tum superiorum atque pectoris venæ, in
 inferiorem extremitatum inferiorum, pel-
 vis atque abdominis venæ coeunt. Vid. *Fr.*
Ruysschii epist. anat. II. p. XXX. tab. III. fig. I I.
J. B. Morgagni advers. anat. V. tab. I. *Dn.*
Joan. Frid. Lobsteinii diss. de valvula Eusta-
 chii, Argent. MDCCLXXI.

ilud quod
 est
 . . .

S. V.

Multis radiculis, anastomoses inter se
 nectentibus, in utriusque ventriculi atque
 auriculæ cordis, in primis tamen sinistro-
 rum, substantia venæ coronariæ oriuntur,
 quæ partim osculis in ventriculorum atque
 auricularum fossas lacunasque aperiuntur,
 partim vero in truncum communem, co-
 ronariam magnam colliguntur, qui, parvâ
 valvula, interdum reticulata, munitus, in-
 ter foramen ovale atque ventriculi dextri
 orificium aperitur.

Vena cor-
 dis coro-
 naria.

CAP. XV.

De venis capitis.

§. I.

Encephali
vena &
sinus.

Ex substantia cerebri ac cerebelli corticali venulæ ad piam duramque meningem abeuntes, atque etiam in his ab arteriarum ramulis orientes, in duræ matris sinus sese exonerant. Inter hos quatuor maiores, nimirum *longitudinales*, *superiorem* sagittalem, a fronte ad occiput excurrentem, *inferiorem*, in processu falciformi progredientem, *duosque laterales*, in occipite, obvios numerant, qui omnes in torculari Herophili conveniunt. Sinus longitudinalis superioris sinus lateralis dexter continuatio plerumque est, & sinister, dextro minor illi inferitur. In longitudinalem superiorem venæ cerebri superficiales & duræ matris se exonerant. Sinus longitudinalis inferior, raro bifurcatus, cum sinistro laterali plerumque committitur, atque in illum venæ cerebri ac cerebelli vicinæ & profundæ abeunt, venæ occipitales nec non a lobis cerebri posterioribus, atque a gyris cerebelli posterioribus orientes, in sinus laterales sese exonerant. Plures adhuc sub encephalo sinus minores reperiuntur, nimirum *occipitalium anteriores*, non perpetui, *laterales* atque *posteriores*, qui in fossas iugulares sanguinem devehunt. *Petrosorum superiores*, angusti, quibus inferiores cerebelli & medullæ oblon-